



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Seculum IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

fat longo tempore Hadriano I. & D. Leoni III. Pontificibus Maximis, nec non Carolo M. meritis suis singularibus sese reddidit pretiosum; unde à Carolo consiliis crebro est adhibitus Regiis, & demum etiam Imperatoriis; à Pontificibus verò Sedis Apostolicæ Apocrisarius est constitutus, ac temporum successu in Divorum Album relatus. Merita hujus Archipræsulis hac synopsi complectuntur Colonienses:

Hilboldus Magno Carolo gratissimus hospes,
Virtutum titulis magnus & ipse fuit.

SECVLUM IX.

XXVIII. HADEBALDVS. VII. ARCH.

PRæclarum sibi nomen comparavit Hadebaldus gemino in Concilio, altero Aquisgrani, altero Moguntia habitato, in quibus Danorum aliorumque Septentrioni propinquorum populorum conversio promota est plurimum; quem in finem Hadebaldus D. Ansgario de necessariis providit & navim instruxit. Annis 28. Sedit an. 846. mortuus, post cujus fata ob Normannorum in Germaniam & Franciam irruptiones, atque etiam ob hæredum Carolo Magno succedentium pugnas & lites per annos 5. Sedes Coloniae sacra relicta est vidua.

XXIX. GVNTHARIVS. VIII. ARCH.

Guntharii per annos 12. Coloniae Archipræsulis soror fuit Waldrada, quam, repudiata Theuthberga conjugè legitima, cum in thalamo sibi jungeret Lotharius junior Rex Austrasiæ, & factum suo etiam calculo firmaret Guntharius, eam ob rem authore D. Nicolao Pontifice Metis celebrata Synodus Guntharium, & mox etiam Theidgandum Trevirorum Antistitem cum aëclis anathemate confixit. Inter bruta fulmina nume-

numerandum censuit hoc Ecclesiæ Romanæ fulmen Guntharius; verum dum contempto periculo ad aram facere paravit, vi occulta spoliatus est veste Sacerdotum propria attonitis cunctis, qui rerum arbitri adstabant. Annis 7. inter vivos superstes luit suam & Regis Lotharii causam mœstissimam.

XXX. WILIBERTVS. IX. ARCH.

Wilibertus anno 863. Archipræsul electus, at primùm an. 870. consecratus, ita præfuit Ecclesiæ suæ, ut per id tempus perpetuos passus sit adversarios Guntharium & huius affeclas. Annos 20. alios ea moderatione animi transegit, ut multum Clericis & Proceribus indulserit, undè versus:

Wilbertus populi votis Procerumque favendo
Indulgit mystis libera jura suis.

S E C U L U M X.

XXXI. HERMANNVS, X. ARCH.

Hermannus annis 35. Coloniensibus tanta virtutum commendatione præluxit, ut eidem meritò *Pii Cognomen* inditum, hoc maximè modo posteritati commendandum esse duxerint:

septem lustra Ubiis Hermannus munia sacra
Exhibuit, dictus nomine jure Pius.

Pium Augusto suo suffragio dixit etiam Arnulphus Imperator, qui Hermanni sæpe operam & consilium requisivit.

XXXII. WICHFRIDVS. XI. ARCH.

Tametsi Wichfridus annos 28. imperantibus Henrico Aucupe & Ottone M. Coloniensem Ecclesiam rexerit, nihil tamen de eodem meminere Colonienses armorum, quàm librorum amantiore.

XXXIII.